



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Prudentia Et Cæteris In Confessario requisitis ad ritè
fructuoséque Diuini ministerij sui munera obeunda,
Tractatvs**

Regnault, Valère

Lvgdvni, 1611

Cap. XVII. De iudiciali prudentia Confessarij in satisfactione pœnitenti
imponenda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41341

CAPVT XVII.

De iudiciali prudentia Confessarij in satisfactione
Pœnitenti imponenda.

S V M M A R I V M.

1. Non est imponenda satisfactio, qua sit in preiudicium tertij. 2. Nec qua peccatum occultum in Confessione detectum, manifestet. 3. Vitandum est, ne videatur esse ineptè imposita. 4. Pœnitenti contraria peccatis ipsius imponenda est satisfactio, ad radices illorum excidendas. 5. Imponenda tantum est Pœnitenti satisfactio, quam creditur impleturus. 6. Nec nimis leuis nec nimis gravis imponenda est. 7. Non nisi leuem admittere volens, reijciendus, non est, in re posita in ipsius arbitrio. 8. Monendus ramen est, quam maiorem mereatur: nisi incommodum ex monitione timeretur. 9. Recusans illud, ad quod alias tenetur sub mortali, non est absolueudus. 10. Tertius modus imponendi pœnitentiam notandus. 11. Cum constituto in articulo mortis qualiter procedendum sit in imponenda satisfactione. 12. Vt sacramentalis satisfactio imponatur, debet precedere confessio sacramentalis. 13. Satisfactio, ommissa uno tempore, implenda est alio.



D iudicalem prudentiam Confessarij
in imponenda satisfactione, sequentia
pertinent.

Primum est, quod D. Antoninus ha-
bet: ne talis imponatur, cuius impletio sit in præ-

1.
a 3. par. tit.
17. cap. 20.
§. 1.

Pœnitentia in præiudicium tertij non est imponenda. iudicium tertij. Exemplum est si seruo imponatur magnum ieiunium, vel longa peregrinatio, vel aliud quod sit notabile impedimentum obsequiorum Domino debitorum: vel si fœminæ non habenti paraphernalia, iniungantur magnæ elemosinæ in viri præiudicium.

2. Secundum est, quod consequenter idem auctor habet, ne pro peccato occulto, pœnitentia imponatur manifesta: seu cuius impletio pœnitentem, graue aliquid admisisse ostendat: quoniam frangeretur alioqui confessionis sigillum; & ita Nauarrus *b* merito ait incautos esse Confessarios, qui ieiunia, & cæteras, quæ nequeunt aliis nescientibus impleri, graues pœnitentias imponunt paulò post Confessionem implendas. Nam attento, quòd vix nostra ætate quisquam graues facit pœnitentias propria sponte susceptas: inde inducunt alios ad suspicandum, quòd pœnitentes gratia peccata commiserint, propter quæ tales pœnitentiæ sint eis impostæ. Si quis tamen inter aliquos versaretur, apud quos esset in vlu graues Pœnitentias ex deuotione

interdum suscipi (vt in monasterijs, aut collegijs, aut sodalitijs quibusdam orationes longiores, meditationes, vigilias, & verberationes) possent tales iniungi; & quæcumque aliæ, quas multi, vbi pœnitens degit, solent ex deuotione vsurpare; vt Romæ, flagellationes in nocte cœnæ Domini: non verò insolitæ, aut ex quibus spectata qualitate, vel consuetudine personæ, facile conici posset iniunctas esse ob mortale peccatum in Cofessione detectum. Exemplum est, si confessor iniungat Pœnitenti, vt capite, & pedibus nudis cereum teneat in Missa coram populo, quod se vidisse ait, & improbat idem Nauarrus

b ad cap. Sacerdos. de pœnit. distin. 6. n. 103.

Quæ pœnitentiæ etiã graues imponi possunt.

113. 229. 11
113. 229. 11

uarrus c. Item (quod habet Henriquez d) si fœmi-
nis, aut religiosis, qui in communi mensa cibum su-
munt, grauiâ ieiunia in pane, & aqua imponantur:
vnde grauis peccati à maritis, aut à prælatis ar-
quantur.

*c in seq. cap.
106.
d lib. 5. sum-
mæ Theo-
log. moral.
cap. 21 §. 6.*

Tertium est, quod attingunt Nauarrus & So-
tus e, ne ita imponatur pœnitentia, vt ineptè impo-
sita esse videatur; vt si imponatur magna eleemofy-
na homini pro ratione sui status pauperi; aut proli-
xæ orationes, homini continuè occupato; aut ieiui-
nium assiduè laboranti & vescenti pane in sudore
vultus sui; aut austeritas magna, delicato, vel consti-
tuto in altiori dignitatis gradu: aut aliquid quod sit
contra ipsius honorem, nec deceat ab ipso impleri:
aut quod periculum habeat lapsus spiritalis, vt fœ-
minam sine viro peregrinationem suscipere, vel
etiam cum ille longinquam, vt ex Hostiensi addit
Nauarrus: aut ad melancholiam, & desperationem
prorum, vt tantum pane, & aqua, & recreationes
omnes etiam honestas vitare. Etenim pœnitentiæ
(inquit bene Henriquez f) non tantum numero
& qualitati peccatorum proportionatæ esse de-
bent, sed etiam dispositioni personæ; vt leuior ei
imponatur, qui ostendit magnæ contritionis signa,
aut qui apparet infirmior siue corpore, siue animo,
aut qui de grauioribus nihil videtur impleturus. Im-
mò neque iuuenibus feruentioribus qui graues
pœnitentias expetunt, imponendæ sunt tales, qui-
bus sub onere gemant, aut breui deficiant viribus.

*e ille in En-
ch. cap. 26.
nu. 18. & hic
in 4. dist. 20.
quest. 2. Act.
3. concl. 2.*

*f in præ-
cep. §. 2.*

*g loco cit.
Imponendæ
pœnitentiæ,
quæ radices
peccatorum
excindant.*

Quartum est, quod D. Antoninus attigit g, vt
Confessarius multum laboret Pœnitentibus con-
tariam peccatis Pœnitentiâ imponere ad excin-
dendas eorum radices, & occasiones, iuxta cap. Sa-



tisfactio de Pœnitentia distin. 3. puta luxurioso, que valere poterunt ad continentiam retinendam; vt cuitare, & deserere familiaritatem personarũ, que illi esse possunt causa ruina; itẽmque ieiunia, verberationes, & alias corporis macerationes vsurpare. Auaro autem imponere eleemosynã, & superbo opera humilitatis, iuxta cap. 1. de pœnitent. distin. 1. & sic de cæteris; curando in omnibus, vt cum in Pœnitentiæ Sacramento, satisfactiones non solum sint vindictæ peccatorum, sed etiam medicinæ; eas quas ipse imposuerit, non minus, imò potius sint remedium præseruatiuum à recidiuo, quàm expiatio pœnæ præteritis peccatis debitæ: prout ex D. Thoma, & aliis Theologis adfert à Graphijs in lib. 1. decif. aurearum. h

h cap. 31.

nu. 7.

Pœnitentiæ
quæ imple-
ri possunt
iniungendæ.

in loco cit.

k in eod. art.
3. non longè
à principio.

Quintum est, quòd idem à Graphijs cõsequenter addit, vt Confessarius semper curet eas Pœnitentias imponere, quas credat verosimiliter Pœnitentem ipsum impleturum, ne obsint, quæ prodesse debent, siquidem status ipsius per violationem illarum, futurus est deterior, quàm alioqui foret. Quapropter monendus est (quantumcumque iuxta Sotum 2. non ostendat se difficilem) ne propositam Pœnitentiam acceptet, nisi se impleturum eam firmiter proponat; etiam si pœnæ peccatis suis debitæ non satisfaciens in hac vita, debeat illam soluere in purgatorio, vbi longè grauior erit, & multo minus efficax ad satisfaciendum, prout idem Sotus tangit k. Et ratio est, quòd homo in hac vita Pœnitentiam impositam suscipiat, & peragat ex plena libertate: in futura autem vita necessitate compellente, perinde, ac cum quis iudice cogente soluat debitum: quod non imputatur ei ad laudem, & merito.

ritum, sicut si ex plena libertate solueret.

Sextum est, quod idem à Graphiis adhuc habet, / Confessarium debere diligenter cauere, ne pœnitentiam adeo leuem imponat, vt pœnitens illam contemnat, illiusque leuitate illectus facilius relabatur; nec contrà, adeo grauem, vt ille eam cum animæ suæ præiudicio omittat, sed sic grauitatem cum leuitate temperet, vt neque nimis rigida, neque nimis facilis esse videatur.

Quòd si Pœnitens ipse dixerit, pœnitentiam mediocrem quam meretur Confessarij iudicio, se facere non posse: sed paruam tantum facere velle, debet hic illi morem gerere: in re scilicet, quæ relicta est ipsius arbitrio, prout pluribus aliis citatis habet Henriquez *m*: & probatur, quia Confessarius, cum officium gerat non tantum Iudicis ad vindictam peccati, sed etiam pij medici, ac patris spiritualis ad curationem animæ, debet vti ea prudentia (vt bene ait Sotus) *n* qua solet medicus, qui non semper rigore vtitur medicaminum, quæ morbus exigit: sed ad ægri debilitatem ita attendit, vt si rigorem illum ferre nequeat, remissius cum eo agat. Si ergo Pœnitens Confessario suam imbecillitatem exponat, isque præsumatur propter debilitatem corporis, aut animi, spiritulve languorem, & torporem non impleturus condignam Pœnitentiam, ei iniungenda est, quam libenter admittet: etiamsi esset vnum Pater & Aue, aliudve modicum (addito quòd alia bona, quæ fecerit, vel mala, quæ pertulerit, sint etiam ei in pœnitentiam: potius quam sinendus, vt afflictus recedat vel desperabundus ob Pœnitentiæ difficultatem: id quod ex D. Thoma, & Hostiensi adferens D. An-

6. in sequ. num. 8. & 9. Pœnitentia leuis valde imponenda non est.

7. *m* li. 5. summa cap. 20. §. 5. lit. q.

n ibidem concl. 2.

Confessarius quomodo se geret erga Pœnitentem qui exiguam vult agere pœnitentiam.

o 3. par. tit.
17. cap. 20.
in initio.

p cap. 26.
num. 20.
q §. Ponat
se, num. 11.

9. Quādo Pœ-
nitēs tene-
tur pœni-
tentiā sibi
iniunctam
acceptare.

8. Antoninus o addit ex Paludano quando Pœnitenti minor, quàm deberet, sic imponitur, iudicandum esse pœnitenti quantò maiorem mereatur (cum canones pœnitentiales septemnalem imponant pro vno mortali) ne decipiatur putans impostam sufficere, ac condignam esse. Quamquam tamen, si nimia deiectio, aut desperatio ex tali declaratione timeatur, esset abstinendum ab ea, & potius humaniore adhibita cohortatione, suadendum, vt velit Deo satisfacere, siue hîc, siue in purgatorio. Quæ quidem voluntas potest ei sufficere, iuxta Nauarrum alios citantem in Enchir. p Confirmatur verò per illud, quod idem bene docet ad cap. consideret. de pœnitent. distinct. 5. q relictam esse ipsius arbitrio, siue hîc, siue in purgatorio, satisfacere pœnæ debitæ peccatis suis. Quæ de re dicemus in praxi par. 2. lib. 3. cap. 2. num. 5.

9. Aduertendum est verò, si id quod pœnitenti imponitur tale sit, vt sub mortali teneatur illud prestare, etiamsi non iniungeretur; ipseque illud recuset, non debere sacramentaliter absolui: quia tamquam impœnitens incapax est talis absolutionis, iuxta illud in cap. Tunc vera. 11. quæst. 3. *Tunc vera est absolutio presidentis, cum interni sequitur arbitrium iudicis, id est, Dei, qui numquam absoluit impœnitentem, de Pœnitentia distinct. 1. cap. neminem.* Quod D. Antoninus annotans addit id procedere, etiamsi talis insistat pro absolutione, ostendendo scandalum, & desperationem: si non absoluitur. Nam ei nullo modo assentiendum est, sed declarandum id non posse fieri, neque si hoc profuturum ipsi. Quòd verò permaneat in scandalo, non debet nos reddere sollicitos, quasi rei fir-

in sa
mus illi
ceptum
scandal
Sepe
direct
admitt
crimini
quam
item p
redime
relinqu
aut si n
O
& ante
16. qu
impon
da, sed
test ma
nendo
Christi
desper
Item a
mosyn
gentqu
bus, &
tentia
ctat id
tenten
se à C
beret,
conua
que h
retur
mus

mus illius: quia non est à nobis datum, sed ab eo acceptum: ita vt Phariseorum sit, non paruulorum scandalum, ex cap. Inter verba 11. q. 3.

Septimum esse potest, quod Polancus habet in 10. direct. 7 vt dispositis ad mitiorem pœnitentiam 7 ca. 2. art. 4. admittendam, maior imponatur, habita ratione criminum perpetratorum: dummodò ea talis sit, quam illi videantur adimpleturi. Concedatur item pœnitenti vt impostam Pœnitentiam possit redimere: vt ieiunia elemosynis: quædam etiam relinquuntur ipsius arbitrio: dicendo hoc facies, aut si malueris illud.

Octauum sit quod Nauarrus in Enchir. habet, 11: & ante eum ex Paludano D. Antoninus 7 per cap. 1. 5 cap. 26. 16. quæst. 7. vt constitutis in articulo mortis, non num. 33. imponatur magna pœnitentia exterior mox agenda, sed ad interiorum contritionem, quam fieri potest maximam ipsi moneantur, non tam proponendo pœnas inferni quam spem misericordiae Christi pro ipsis crucifixi: quia tunc magis quis desperatione, quam præsumptione oppugnatur. 7 3. parte tit. 10. ca. 2. sub initiũ. Pœnitentia qualis moribundo fit imponenda. Item admoneantur, vt iubeant de bonis suis elemosynas rationabiles fieri, & Missas celebrari, rogentque amicos, si quos præsto habeant, vt precibus, & aliis bonis operibus iuuent ipsos ad pœnitentiam pro suis peccatis agenda. Quò etiam spectat id quod ex Hostiensi D. Antoninus addit, Pœnitentem in articulo mortis constitutum monendum esse à Confessario, quæ pœnitentia illi imponi deberet, si bene valeret, quamque debeat implere, si conualescat: aut pro ea elemosynas facere, suisque heredibus iniungere faciendas. Quòd si timeretur inde accepturus occasionem aliquam desperationis

rationis, seruandum esset, quod antea num. 8. dictum est: moneri posset tamen, vt si conualuerit, denuo se presentet Confessario petendo taxatibi condignam suis peccatis pœnitentiam: quod tunc fieri nequit, durante ipsius infirmitate. Ratio autem monitionis reddetur, quod ceteris paribus impletio satisfactionis à Confessario imposita valeat, quàm suscepta propria tantum sponte, pet. inde ac impletio voti, de qua ad 1. Clement. De reliquijs & vener. sanctorum, glosa. v. Addit D. Antoninus de tali, si redeat ad eundem Confessarium, non teneri denuo confiteri peccata, pro quibus satisfactio est taxanda, si Confessarius adhuc illorum recorderetur, quantum sufficit ad moderandam Pœnitentiam: aliàs verò debebit denuo confiteri.

v Verbo
seipsum.

12. Pro quo notandum est sequens documentum. Satisfactio sacramentalis maioris est efficacia quàm sponte suscepta. Si Pœnitens considerando sacramentalem satisfactionem; efficaciam esse maioris, quàm sponte susceptam: velit per illam potius, quàm per hanc satisfacere Deo, ideòque postulet aliquam sibi imponi, debere tunc confiteri prout Nauarrus attingit ad cap. Contrarium. de pœnitent. distinct. 1. num. 23. & patet, quia ex Concil. Trident. sess. 4. cap. 5. Sacerdos iudicium Pœnitentiale incognita causâ exercere non potest, neque æquitatem in pœnis iniungendis seruare, nisi in specie, & sigillatim sua Pœnitens peccata ei declarauerit. Idem quoque iudicium est, si quis ab alio, quàm ab eo cui confessus est, vel ab eodem quidem, sed qui oblitus sit peccatorum in confessione auditorum, petat sibi aliquam imponi, eo quòd antea imposita, quam non impleuit, minimè recorderetur.

De prudentia Confessarij in arbitranda 365

Quòd si illius recordetur quidem, petat nihilominus aliam pro ea à se omiſſa ſibi imponi, cautum eſt (inquit D. Antoninus) & ei declarare, ac permittere: vt ſi aliqua die ſiue ex negligentia, ſiue ex obliuione omiſerit iniunctam pœnitentiam, vt ieiunium, vel orationes, vel aliud huiusmodi, poſſit alio die ſupplere. Ratio eſt quam reddit Caietanus ꝑ, quòd principale in ſatisfactione, ſit ipſum opus, non circumſtantia temporis. Qua etiam ratione Fumus & vitur ad ſtabiliendam determinationem, quam ait poſſe conſolari multos: nempe ſi Pœnitens non impleuit loco & tempore designatis, vel partem Pœnitentiæ vel rotum, quòd ei fuerit iniunctum, impleat poſtea. Quamquam ſi tempus ipſum tamquam pars ſatisfactionis imponatur, vt ſi quis præcipiatur ieiunare in æſtate, quia ieiunium tunc habet ſpeciale difficultatem, ieiunando hyeme non impletur tota Pœnitentia, ratione variæ conditionis temporis, quæ ſpectata eſt in illa imponenda.

*x in ſequ.
tit. 17. ca. 20.
§. 1. ſub finē.
ꝑ verbo ſatisfactionis §.
1. in fine.
& eodē verbo, num. 5.*

CAPVT XVIII.

De prudentia Confessarij in arbitranda ſeu taxanda ſatisfactione Sacramentali.

SUMMARIUM.

1. Tanta, & talis ſatisfactione imponenda eſt Pœnitenti à Confessario, quæ cenſeatur iuſta.
2. Solus Deus